



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. II. Corollaria notatu digna,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

§. II.

Cerollaria notatu digna.

53. **E**X dictis inferes primò, Christum per scientiam beatam videre in verbo infinita accidentia, non tamen infinitas substantias.

Prima pars patet ex dictis, si enim intellectus Christi cognoscat in verbo per scientiam beatam omnia quæ quocumque modo sunt, fuerunt, & erunt, cum infinita accidentia successivè futura sint per totam æternitatem, nempe infinita cogitationes & affectiones Angelorum & hominum, sequitur necessariò Christum ut hominem videre in verbo infinita accidentia successivè futura. Ex quo probata manet secunda pars, cum enim substantiæ non sint entia successiva, sed permanentia, non datur, etiam in mensura æternitatis, numerus substantiarum actu infinitus.

54. Inferes secundò, Christum non successivè, sed simul, & à principio beatitudinis, omnia præsentia, præterita, & futura cognoscere: Tum quia illa cognoscit per scientiam beatam, seu visionem beatificam, quæ cum æternitate mensuretur, nullam successione, seu mutationem patitur. Unde Augustinus 5. de Trinit. cap. 16. de homine in statu beatitudinis loquens ait: *Non erunt volubiles nostræ cogitationes, sed omnem scientiam nostram uno simul conspectu videbimus.* Tum etiam, quia intellectum nostrum plura simul non cognoscere, provenit ex eo quod illa per plures species cognoscat, unde omnia quæ per unam speciem representantur, potest simul intelligere: Sed quæ à Christo & alijs beatis cognoscuntur in verbo, unâ specie representantur, scilicet divinâ essentiâ: Ergo simul omnia cognoscuntur. Sic discitur D. Thomas 1. p. quæst. 12. art. 10.

55. Inferes tertio, beatitudinem animæ Christi esse majorem beatitudine cujusvis creaturæ possibilis de lege ordinaria, non autem de potentia absoluta.

Prima pars probatur: Major vel minor perfectio visionis beatificæ, provenit ex majori vel minori lumine gloriæ, ut in Tractatu de visione beata ostensum est: Sed lumen gloriæ concessum animæ Christi, est perfectius & intensius lumine cujusvis creaturæ de lege Dei ordinaria possibilis: Ergo & ejus scientia seu visio beatifica. Minor probatur: Perfectio luminis gloriæ commensuratur perfectioni gratiæ habitualis, ad quam ut proprietas consequitur: Sed gratia habitualis Christi est major gratiâ omnium creaturarum, ut supra ostensum est: Ergo lumen gloriæ animæ Christi intensius est lumine cujusvis creaturæ de lege Dei ordinaria possibilis.

Eadem ratione suadetur secunda pars: Sicut enim gratia Christi de potentia absoluta potuit esse intensior, ita & ejus beatitudo: Sed potuit in hac majori intensione cujusvis alteri creaturæ communicari: Ergo potuit beatitudo puræ creaturæ esse major intensivè beatitudine animæ Christi, de potentia absoluta.

§. III.

Solvuntur objectiones.

56. **O**bjicies primò contra præcedentem conclusionem: Si beata Christi scientia ad omnia præsentia, præterita, & futura se extenderet, per illam cognosceret Christus quicquid Deus cog-

A noscit scientiâ visionis: Consequens non potest admitti: Ergo nec Antecedens. Sequela Majoris est evidens, nihil enim Deus cognoscit per scientiam visionis, præter futura, præterita, & præsentia. Minor verò probatur. Si Christus per scientiam beatam videret quicquid cognoscitur à Deo per scientiam visionis, comprehenderet talem scientiam: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud. Probatur sequela: Cognitio termini adæquati alicujus potentæ aut virtutis, est illius comprehensio, vel saltem infert illius comprehensionem, ut articulo præcedenti dicebamus: Ergo similiter cognitio objecti adæquati scientiæ Dei liberæ, quæ visionis dicitur, est, vel saltem infert comprehensionem illius, subindeque si beata Christi scientia se extenderet ad omnia præsentia, præterita, & futura, quæ sunt objectum adæquatum scientiæ visionis Dei, illam comprehenderet.

Respondet concessa Majori, negando Minorem, utpote expressè contra S. Thomam hic art. 2. ad 2. ubi ait quod *anima Christi scit omnia quæ Deus in seipso cognoscit per scientiam visionis.* Et in resp. ad 3. asserit quod *scientia animæ Christi quam habet in verbo, parificatur scientiæ visionis quam Deus habet in seipso, quantum ad numerum scibilium.* Unde ad probationem in contrarium, nego sequelam Majoris, & ad illius probationem, concessio Antecedente, nego consequentiam, & paritatem: nam cognitio omnium ad quæ se extendit potentia, necessariò illam adæquat in modo cognoscibilitatis, ut constat ex dictis articulo præcedenti, ac proinde est vel infert comprehensionem illius: cognitio autem omnium ad quæ scientia libera terminatur, non adæquare debet necessariò modum intensivum cognoscibilitatis illius, quod necessarium esset ad ejus comprehensionem. Hæc solutio fundamentum habet in D. Thoma hic art. 2. ad 3. ubi docet scientiam animæ Christi quam habet in verbo, etsi parificetur scientiæ visionis quam Deus habet in seipso, quantum ad numerum scibilium, infinite ab illa quoad claritatem excedi. Si verò hujus discriminis rationem requiras, dico eam peti ex eo quod cognitio effectuum in causa habetur ex vi penetrationis causæ, & ideo ut ad omnes effectus contentos in causa terminetur, adæquata causæ penetratio requiritur: cognitio verò existentium in scientia Dei libera, vel in decreto, non habetur ex vi penetrationis decreti, sed tantum ex vi revelationis illius; ac proinde ut in decreto vel scientia libera res futura vel præsentis cognoscantur, illorum penetratio non requiritur, nec consequenter adæquatio cum modo vel in modo cognoscibilitatis illorum.

Quod ut magis percipiatur, & instantiæ quæ posset fieri in contrarium occurratur: Advertendum est, cognitionem existentium vel futurorum dupliciter considerari posse, scilicet vel prout terminatur ad eorum quidditatem, vel prout illarum tantum existentiam aut futuritionem attingit. Sumpta primo modo, plurimum cognitio, perfectiorem Dei cognitionem, & illius ut causæ penetrationem supponit; sumpta verò secundo modo, majorem penetrationem divinæ essentiæ non petit, sed tantum decreti liberi revelationem; unde aliquando minus beatus plura de existentibus aut futuris cognoscit, quam videat magis beatus (quia nimirum plura ad illius quam ad illius statum pertinent) & tamen minus beatus Deum minus perfectè videt, & essentiam divinam mi-